

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

VII. De miserabili statu et detestabili vita eorum qui regunt ecclesiam.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

## V. DE OBLATIONIBUS LAÏCORUM.

**L**AICI offerentes sic se conservent a malitia parcitatis, sicut presbyteri cavere debent ab astutia aviditatis. Hæc custodia est necessaria utrobique; debet enim laicus cum multa offerre charitate, cum jucunditate, et largitate; presbyter vero eam suscipere cum humili timore tremuli cordis, tamquam oblatum Dei manibus munus, et rependere Deo laudabiliter in omnibus factis suis. Terrena namque substantia iniqua et servilis est dum accipitur, valde autem libera dum *pie* effunditur.

IV. 10.

## I. DE JUDÆIS.

**D**EINDE docuit me Dominus quemadmodum Christiani conversari debeant cum Judæis: Legem et consuetudines eorum tenere nullus fidelium debet. Cohabitationem eorum vitabit omnis christianus, nec cum eis per noctem aliquam remanebit. Emptionis et venditionis commercium cum eis habere licebit, absque fraudulentia societatis et avaritiæ falsitatis.

IV. 11.

## VII. DE MISERABILI STATU ET DETESTABILI VITA EORUM QUI REGUNT ECCLESIAM.

**D**IADEMA sanctæ Ecclesiæ splendidum, quomodo obscuratum es terra, fulgine fulgor tuus; lapides tui pretiosi, rectores doctoresque sanctissimi, ceciderunt; idcirco tuis perversis moribus infirmatur et scandalizatur plebs Dei. Aurum tuum computruit in stercore vitiorum; pauper effecta est nimis, non habens thesaurum pretiosissimum, charitatem. Exusta est et denigrata est super carbones in igne terrimæ libidinis speciosa tua facies integerrimæ

VI. 21.

castitatis. Structura domus tuæ corrui, subverso per superbiam fundamento profundæ humilitatis. Ad nihilum redacta est et disparuit rectitudo veritatis tuæ, et invenitur in labiis tuis mendacium et iniquitas falsitatis; flores virtutum et honestatis cadentes emarcuerunt in te. O corona sortis Dei, quomodo inclinata es et decor vultus tui deperit! Jam non est in te facies neque decor; neque remansit quidquam virium præterquam ruinæ tuæ occasio, clericalis videlicet jurisdictio; qua Deum et electos ejus impugnas, justificans impium pro muneribus et justitiam justî auferens ab eo. Propterea Deus humiliare te disposuit, venietque super te ultio die qua nescis, et tempore quo ignoras; quia hoc dicit Dominus: « Ego summi Pontificis auriculam revelabo, et tangam ejus dolore zeli mei intrinsecus, eo quod ovium mearum pastores de Jerusalem latrones et lupi effecti sunt coram oculis meis: mortificant crudeliter et devorant agnos meos; oves majores morbidæ sunt et languidæ, eo quod eas a pascuis utilibus revocatis, et pasci in excelsis montibus et herbis virentibus imple prohibetis, caventes minis et monitis, ne sana doctrina et salutaribus consiliis virorum fide et scientia illustrium foveantur. Si quis viam ad inferos ignorans scire desideret, turpium et depravorum clericorum vitam et mores aspiciat, qui luxuriæ aliisque vitiis dediti consuetudine nefaria sine obstaculo properant ad inferna.

Hi sunt prædicatores novissimi quibus eam amiciens protegam adversus fallacias et malitias Antichristi. Tu ergo filium, Pater Patrum summus Pontifex, in terris vices meas gerens, his perficiendis studiose intendito, ut protelentur dies vitæ tuæ, et gratia augeatur; antecessores tui breviter transierunt, quia voluntatis meæ secretum consilium non impleverunt. Sic vidi Papam in suis orationibus existentem. ibique audivi sibi ista Deum colloquentem.